



Per.  
Lat  
020

Prodit Budapestini VIII., Szentkirályi-u. 28. Calendis et Idibus cuiusque mensis, excepto Iulio et Augusto. — Pretium annuae subscriptionis: 4 coronae, in Germania 5 M., in Gallia 5 F. 25 c. Prostat Parisiis in aedibus Croville-Morant, 20 rue de la Sorbonne. — Telephonum: József 858.

## Constantinus Magnus.

*Pius X.* pontifex maximus edicturus esse nuntiabatur, ut mense Octobri in honorem Constantini Magni imperatoris Romani per totum orbem supplicationes<sup>1</sup> et<sup>1</sup> gratulationes<sup>1</sup> agerentur. Quod autem edictum omissum<sup>2</sup> est. Italia ipsa hoc tempore bello flagrabat, regna Haemo<sup>3</sup> circumiacentia bello exardescebant.<sup>4</sup> Prae armorum strepitu pietas conticuit, memoria pugnae, anno CCCXII. V. Cal. Nov. pugnatae non celebrabatur.

Eo die lex<sup>5</sup> Christiana triumphum egit de diis Romanis. Constantinus enim Ma-

gnus, Sanctae Helenae filius, Maxentium paganum<sup>6</sup> imperii<sup>7</sup> aemulum<sup>7</sup> Romae ad pontem Milvium signo crucis vicit. Victor imperator IV. Cal. Nov. Romam intravit. Tum edixit, ut «daretur et Christianis et omnibus libera potestas sequendi religionem, quam quisque voluisset... ut nulli facultas<sup>8</sup> abnegaretur, qui vel observationi<sup>9</sup> Christianorum vel ei religioni mentem suam dedisset, quam ipse sibi aptissimam sentiret... se liberam atque absolutam colendae religionis suae facultatem Chri-

<sup>1</sup> békeünnep <sup>2</sup> elmarad <sup>3</sup> Balkán <sup>4</sup> lángba borul  
<sup>5</sup> vallás <sup>6</sup> pogány <sup>7</sup> versenytárs <sup>8</sup> lehetőség  
<sup>9</sup> követés





*stianis dedisse». Et condita est Constantini Magni prima basilica Lateranensis, deinde Sancti Pauli, tum Sancti Petri. Imperator Romam pontifici maximo donavit, ipse autem urbem, quae a suo nomine Constantinopolis appellabatur, sedem sibi elegit. Pugna igitur illa ad pontem Milvium maximum valebat<sup>10</sup> ad res<sup>11</sup> gestas<sup>11</sup> omnium populorum.*


His diebus, cum pars magna Europae armis strepit, annus millesimus et sescentessimus sollemnibus<sup>12</sup> frequentari<sup>12</sup> nequit, saevientem enim Martem decent festa pacem agentia. In basilica sola Lateranensi pia simplicitate celebrabatur memoria conditoris clarissimi, Constantini Magni.

Pictura est opus Iulii Romani, Rafaelis discipuli, qui eam ad delineationem<sup>13</sup> magistri in Vaticano, coloribus udo<sup>14</sup> illitis,<sup>15</sup> pinxit.

Nunc ipsum<sup>16</sup> pugna decernitur. Imperator iuvenis equo pulcherrimo vectus supra hostes prostratos<sup>17</sup> eminent. Signiferi<sup>18</sup> cum crucibus eum sequuntur, circa saevit pugna. Equites victores ad Constantinum properant, unus eorum Maxentium monstrat, qui undis fluvii Tiberis hauritur. Imperator hastam tollit. In ponte et in naviculis hostes fugientes conspiciuntur. Tres angeli supra imperatorem testes sunt auxilii di-

vini. — Pictura una omnium clarissima est, quae proelia<sup>19</sup> picta<sup>19</sup> ostendunt.

<sup>10</sup> hatással van <sup>11</sup> történelem <sup>12</sup> ünnepelel <sup>13</sup> minta  
<sup>14</sup> nedves <sup>15</sup> ráken (al fresco) <sup>16</sup> épen <sup>17</sup> leterít  
<sup>18</sup> zászlóvivő <sup>19</sup> csatakép.



**LECTARIUS MINIMIS.**

### Proverbia incolarum Orientis.<sup>1</sup>

Nemo arcam<sup>2</sup> alius complebit.

Senes sciunt, quae videbant, iuvenes, quae audiebant.

Adulator<sup>3</sup> est fenerator<sup>4</sup> — laudem nisi grandi fenore<sup>5</sup> impertit.

Qui secreta<sup>6</sup> novit neque prodit, summos honores consequetur.

Qui existimationem<sup>7</sup> pecuniā vendit, amicum unicum hospiti infideli dat.

Caeco noli narrare candelarum<sup>8</sup> pretium auctum esse.

Molestissima tria sunt: secretum<sup>9</sup> servare debere, inimico ignoscere<sup>9</sup> debere, incommode<sup>10</sup> venire ad aliquem.

R. Roda.

<sup>1</sup> a Kelet <sup>2</sup> koporsó <sup>3</sup> hizelgő <sup>4</sup> uszolás <sup>5</sup> kamat  
<sup>6</sup> titok <sup>7</sup> becsület <sup>8</sup> gyertya <sup>9</sup> megbocsát <sup>10</sup> alkalmatlanul.



### Fons sapientiae. II.

Ad narrationem A. Londez G. Totis.

Ita effluxit annus primus, deinde alter et tertius. Resid interea diligenter, sine querela laborem gravem, molestum perfecit. Singulis diebus, quoties surrexit,<sup>1</sup> toties spei se dedit fore, ut magister forsitan eo die docendo vacaturus<sup>2</sup> esset.

Ineunte anno quarto sollicitus<sup>3</sup> factus magistrum implorare decrevit, ut docendi initium faceret. Eo<sup>4</sup> usque<sup>4</sup> animum confirmabat, donec catenā dimissā ante magistrum constitit:

— Magister ... obsecro ... balbutiebat<sup>5</sup> verecunde.<sup>6</sup>

Magister severe<sup>7</sup> aspexit et interpellavit<sup>8</sup> iuvenem:

— Quid vis?

— Fontem sapientiae...

Magister denuo interrupit<sup>8</sup> verba adolescentis et nunc iam iratus:

<sup>1</sup> fölkel <sup>2</sup> ráér <sup>3</sup> izgatott <sup>4</sup> addig <sup>5</sup> hebeg <sup>6</sup> tiszteletteljesen <sup>7</sup> szigorúan <sup>8</sup> félbeszakít



*Ciconia* (reversa hoc modo de tecto herum<sup>1</sup> est affata<sup>2</sup>):

Nonne maximam mihi debes gratiam,<sup>3</sup> quod ver tibi iterum rettuli?

*Herus*. Nequaquam,<sup>4</sup> amica mea; nam te ipsam quoque ver rettulit. Humana vanitas<sup>5</sup> saepe magnos sibi tribuit eventus.<sup>6</sup>

\*

*Prunus*<sup>7</sup> (ad erucas<sup>8</sup>): Desinite<sup>9</sup> iam me cruciare amplius. Non auditis, crudeles, meos gemitus?<sup>10</sup>


*Erucae*. Desinemus te cruciare, matercula, cum folia tua omnia consumpserimus.<sup>11</sup> Quare ea nobis invides?<sup>12</sup> Nonne tuae proles<sup>13</sup> sumus?

*Prunus*. Est ita ut dicitis. In me estis natae et me roditis.<sup>14</sup> Sed estisne et vos caritate<sup>15</sup> erga me?

Patria carissima, quam multis civibus haec in aures insusurrare<sup>16</sup> queas?

Ad A. Fáy Vincentius Lakatos.

1 gazda 2 megszólít 3 köszönet 4 semmiképen  
5 hiúság 6 esemény 7 szilvafa 8 hernyó 9 megszűnik  
10 sóhajtás 11 megesz 12 sajnál valakitől 13 gyermek  
14 rág 15 szeretet 16 súg.



Quis vestrum non desideraverit unquam capsulam,<sup>1</sup> cum aliquid asservare<sup>2</sup> vellet!

— I in locum tuum, ad follem!

Resid perterritus irato magistri vultu submissus<sup>9</sup> folli obrepsit<sup>10</sup> et continuavit laborem.

Iterum annus elapsus est. Anno quinto exeunte magister quodam die praeter<sup>11</sup> expectationem<sup>11</sup> malleo<sup>12</sup> deposito ad se vocavit Residem.

Iuvenis dimisit catenam et submisit modesteque ad eum properavit.


— Quid iubes magister?

Magister manum humero Residis imposuit et blande<sup>13</sup> amanter:

— Carissime mi fili, — inquit — nunc iam domum reverti potes, quia invenisti

Quanta voluptate affecisses matrem vel sororem, si ipse talem rem conficere potuisses! Neque tamen magno labore confici potest. Eme chartam<sup>3</sup> densatam,<sup>3</sup> quae in tabernis<sup>4</sup> chartariis<sup>4</sup> prostat, tenuem<sup>5</sup> aut crassam,<sup>5</sup> prout capsulam papilionibus,<sup>6</sup> digitalibus<sup>7</sup> vel aliis rebus asservandis paraturus es.

Instrumentis necessariis: cultro<sup>8</sup> acuto, forfice,<sup>9</sup> regula<sup>10</sup> non cares. Magnam autem



diligentiam adhibebis in glutinandi<sup>11</sup> materie<sup>11</sup> eligenda. Equidem puer ex amylo<sup>12</sup> optimam paravam materiem. Amylum enim in ollula<sup>13</sup> posui, aquam infudi et massam ita factam diligenter permiscebam,<sup>14</sup> ne glebosa<sup>15</sup> esset. Tum adfundebam aquam ferventem assidue totum permiscens, donec vitro<sup>16</sup> simile fieret.

1 skatulya 2 elrak 3 lemezpapir 4 papirosbolt  
5 vékony, vastag 6 pillangó 7 keztyű 8 kés 9 olló  
10 vonalzó 11 ragasztószer 12 keményítő 13 kis csupor  
14 kever 15 csomós 16 üveg

fontem sapientiae maximae. Nunc iam non es discipulus meus, hodie enim tu ipse magister factus es...

Resid miratus aspexit magistrum, qui oculis fulgentibus porro<sup>14</sup> loqui perrexit:<sup>15</sup>  
— Nunc iam compertum habes, quid sit fons sapientiae maximae... Patientia.

Resid nunc demum<sup>16</sup> intellexit sapientiam magistri. Subito in genua demissus et osculatus manum callosam<sup>17</sup> magistri beatissime domum profectus est.

9 alázatos 10 odacsúszik 11 váratlanul 12 kalapács  
13 nyájasan 14 tovább 15 folytat 16 végre 17 munkától feltört.



Etiam gluten<sup>17</sup> fabrile<sup>17</sup> tibi usui esse poterit. Sed attende, ne crassum<sup>18</sup> neve inutile fiat; quod efficies, si glutini aliquantum aluminis<sup>19</sup> admiscueris.

In charta densata quadrangula<sup>20</sup> ad picturam delineabis, deinde cultro ea exsecabis.<sup>21</sup> Ut facilius inflecti<sup>22</sup> possint, quatuor lineas, quibus capsulae fundus<sup>23</sup> efficitur, cultro leviter scindes.<sup>24</sup> Sed ne ignores, quae lineae tantum scindendae sint —

non exsecandae — in pictura eminentiores<sup>25</sup> eas delineavi.

Postquam latera capsulae inflexa sunt, scidulis<sup>26</sup> ea agglutinabis;<sup>27</sup> si capsulam firmiorem facturus es, pannulis<sup>28</sup> linteis.<sup>28</sup> Ita tibi capsulas pulcherrimas sine magno labore parabis.

17 asztalosenyv 18 vastag 19 timsó 20 négyszög  
21 kivág 22 hajlít 23 fenék 24 karcol 25 vastagabban  
26 papírszelet 27 megragaszt 28 vászonszelet.

### Maria Stuart Francogalliae vale dicens.

Carmen P. I. Berangeri «Adieux de Marie Stuart» latine reddidit Guilelmus Lehmann Vratislaviensis.

*Iam vale, Gallia o grata,  
Amore<sup>1</sup> prosequenda<sup>1</sup> mi!  
Iuventae meae dux probata,  
Te linquo! quod est emori.*

*En exsulem me decedentem,<sup>2</sup>  
O adoptata patria!  
Exaudi vale me dicentem  
Ac tene me memoria.  
Flat ventus, abimusque foras,<sup>3</sup>  
Nec tacti questu<sup>4</sup> flebili,  
Ut revehar ad tuas oras,  
Iam movent aequor<sup>5</sup> Superi!*

*Iam vale, Gallia o grata, etc.*

*Cum cives cernerent<sup>6</sup> amati  
Me claris cinclam<sup>7</sup> liliis,  
Plauserunt<sup>8</sup> minus maiestati  
Quam veris mei gaudiis.*

*Nequiquam<sup>9</sup> cupit imperare  
Me nebulosa<sup>10</sup> Scotia;  
Non<sup>11</sup> usquam<sup>11</sup> volui regnare,  
In laeta nisi Gallia.*

*Iam vale, Gallia o grata, etc.*

*Amore, laudibus<sup>12</sup> elata<sup>12</sup>  
Genioque nimis florui;  
Mox immutabunt<sup>13</sup> mea fata*

*Inculti Caledonii.<sup>14</sup>*

*Infelix omen — heu terrore  
Sollicitat hanc<sup>15</sup> animam:  
In somno vidi cum maerore  
Catastam<sup>16</sup> mihi positam.*

*Iam vale, Gallia o grata, etc.*

*O Gallia, per hos tumultus,  
Ut hodie sub lacrima,  
In te convertet usque vultus  
Stuartum lauta<sup>17</sup> filia.  
Ah! citiore iam phaselo<sup>18</sup>  
Sub caelis namus aliis;  
Et humido nox lilius<sup>19</sup> velo  
Abscondit<sup>20</sup> meis oculis!*

*Iam vale, Gallia o grata, etc.*

1 szeret 2 távozik 3 kifelé 4 panasz 5 tenger 6 lát 7 övez 8 tapsol 9 hiába 10 ködös 11 sehöl  
12 dicsérettől elkapatva 13 megváltoztat 14 Skócia (északnyugati része) 15 = meam 16 vérpad 17 előkelő  
18 csónak, «hajó» 19 sc. Galliae 20 elrejt.



Certamen follis<sup>1</sup> pulsandi,<sup>1</sup> quod III. Non. Nov. Budapestini inter Hungarorum et Austriacorum manus<sup>2</sup> delectas ponebatur, triginta milia hominum spectabant. Et hercle operae<sup>3</sup> pretium<sup>3</sup> erat in foeda tempestate<sup>4</sup> lulum pulcherrimum spectare, cum nostri follem quater in portam Austriacam ingererent, hi autem ne semel quidem in portam Hungarorum. Howcroft Britannus, qui iudex adhibebatur cum omnibus, qui aderant, laudi-

bus summis cumulabant<sup>5</sup> et victores et victos, qui ludis finitis ad epulas<sup>6</sup> sollemnes convenerunt, ubi certamen nobile sermonibus amicissimis celebrabatur.


1 rúgólabda 2 csapat 3 érdemes 4 időjárás  
5 elhalmoz 6 lakoma.



Annis superioribus de Pompeis uberius disserebamus in Iuventute nostra; in numero autem 1. anni III. de Pompeis, qui vocantur Pomptini, verba fecimus.



Praeter has urbes exstat tertia, cui nomen erat Salonae. Dalmatiae erat caput et sedes, quae a Romanis vix capta, propter naturam loci colonia facta est nomenque ei inditum Colonia Martia Iulia Salona. Urbs tam late patebat, ut suburbia<sup>1</sup> usque ad iugum montium excurrerent, per quod unicum iter terrestre ad urbem ferebat. Prope Salonas Diocletianus imperator natus est, qui ibi pulcherrimam



domum cum hortis habuit, quos ipse colebat. Postquam urbs a Gothis deleta est, incolae Spalati (hodie Spalato) considerant. Ruinae Salonarum etiam saeculo XVII. grandes erant, ex quo autem tempore lapides passim diripiebantur, tantum oppidulo<sup>2</sup> parvo nomen servatur. Quae ruinae notabiles<sup>3</sup> sunt praecipue sepulcreto<sup>4</sup> Christiano antiquissimo, unde nomine Pompeiorum Christianorum iure dignae sunt. De historia Salonarum conscribenda optime meritis est Franciscus Buliĉ, antiquitatis<sup>5</sup> investigator<sup>5</sup> doctissimus.

<sup>1</sup> külváros <sup>2</sup> község <sup>3</sup> nevezetes <sup>4</sup> temető <sup>5</sup> régiség-kutató.



Andreas Kvasz aëronauta Hungarus machinā subvolans regem in arce Budensi salutaturus cum aëroplano in Danuvium cecidit. Machina corrupta, Kvasz servatus est.



Thomas Fritsch, civis Szászrégeniensis ante hos centum et triginta annos apud magistratus urbanos centum et viginti florenos<sup>1</sup> (hodie ducentae et quadraginta coronae) publico<sup>2</sup> usui<sup>2</sup> obtulerat. Quae pecunia fenore<sup>3</sup> collocata<sup>3</sup> cum usuris<sup>4</sup> usurarum ad ducenta et sexaginta milia coronarum augebatur. Posterī auctoris,<sup>5</sup> Norbertus et Osvaldus Frits medici hac pecunia valetudinarium<sup>6</sup> infantium condiderunt, quod nuperrime dicatum est.

Academia theologica Calvinianorum Hungaricorum Budapestini dedicata est. Sollemnibus tanta celebritas<sup>7</sup> evangelicorum intererant, ut eos aula magnificentissima capere<sup>8</sup> nequiverit.

Eugenius Hubay, in regia artium<sup>9</sup> musicarum<sup>9</sup> academia Budapestinensi magister, annum quadragesimum ex quo artem musicam exercere coeperat, vicesimum vero quintum ex quo docendi munus<sup>10</sup> in academia capessierat,<sup>10</sup> splendido apparatu celebravit. Dulcissimo cantu<sup>11</sup> fidium,<sup>11</sup> innumerabilibus modis<sup>12</sup> musicis,<sup>12</sup> quos fidibus<sup>13</sup> aptarat,<sup>13</sup> venustate<sup>14</sup> insita,<sup>14</sup> animo denique liberali et munifico amicorum atque admiratorum sibi maximam conciliavit multitudinem. A Francisco Lisztio et Henrico Viex-tempio in amicis habebatur; huic etiam magister in academia Bruxelliana successit.<sup>15</sup>

Sollemnibus, quae ad talem hunc virum honorandum celebrabantur, omnes homines, qui in musicis aliquā florent gloriā, interfuere. Discipulorum clarissimi, in quibus Franciscus a Vecsey concentum<sup>16</sup> ediderunt,<sup>16</sup> rex autem apostolicus noster Eugenium Hubay a<sup>17</sup> consiliis<sup>17</sup> aulicis<sup>17</sup> nominavit.

<sup>1</sup> forint <sup>2</sup> közcélra <sup>3</sup> kamatra elhelyez <sup>4</sup> kamat  
<sup>5</sup> alapító <sup>6</sup> kórház <sup>7</sup> előkelőségek <sup>8</sup> befogad <sup>9</sup> zene-művészet  
<sup>10</sup> hivatalát megkezdi <sup>11</sup> hegedűjáték  
<sup>12</sup> zenemű <sup>13</sup> szerez <sup>14</sup> veleszületett szeretetreméltóság  
<sup>15</sup> utódja lett <sup>16</sup> hangversenyt rendez <sup>17</sup> udvari tanácsos



**Bellum Haemicum** maximo furore saevit. Exercitus foederati fines Turcicos eodem tempore simul invaserunt. *Bulgarorum* copiae post pugnas felices apud oppida Baba-Eschi, Lüle Burgas, Shorlu iam Constantinopoli intentant,<sup>18</sup> unde haud amplius 70—80 chiliometra absunt. *Serbia* sua arma cum Montenigrinis coniunxit vetusque caput<sup>19</sup> regni, urbem Üschüb vi cepit. In finibus Montenigrinis pro expugnanda Scodra (Skutari) adhuc dimicatur. *Graeci* ad Thessalonicam (Salonichi) signa<sup>20</sup> efferentes<sup>20</sup> post Elassonam Serfidsamque urbes captas, quod



petunt, assecuturi esse videntur. In sinu ipso Thermaeo (Thessalonicensi) navis<sup>21</sup> longa<sup>21</sup> Turcorum, cui nomen erat Tethibulend, navi Graeca deprimebatur.<sup>22</sup>

Quae cum ita sint, Turci male se habere videntur. Optandum autem est, ut post plurimos sanguines, qui utrimque<sup>23</sup> effundebantur, finis tandem caedium fiat.

I. Szendefi.

**Coalitae**<sup>24</sup> civitates Americanae quarto quoque anno summum rei publicae praefectum creant. Singulae enim civitates pro<sup>25</sup> numero incolarum senatores creant et totidem electores, qui vocantur. Ab his electoribus creabatur summus rei publicae praefectus, Woodrow Wilson dr., qui magister in universitate Princetowniana clarissimis operibus gloriam sibi paravit. Sed non minorem sibi paravit gloriam in civitate New-Jersey, cui duos annos praeerat, ubi salutis publicae multa utilissima faciebat.

**Curā parentum** fundata MDCCCXII — est inscriptio gymnasii Kaposváriensis, quod nunc coram summis viris sollemnia saecularia celebravit. Discipuli, qui nunc sunt, pulcherrimis carminibus et fidium cantu delectabant aures praesentium, quorum maxima pars quondam discipuli erant scholae illius clarissimae.

In Italia et Gallia novissime res antiquitatis pretiosissimae erutae<sup>26</sup> sunt. Sub enim thermis<sup>27</sup> Caracallae imperatoris Italus vir doctus a Valle, nuper detexit seriem camerarum hypocaustorumque<sup>28</sup> faucibus<sup>29</sup> inter se coniunctorum, quarum faucium nonnullae tam amplae sunt quam viae<sup>30</sup> publicae.<sup>30</sup> Sunt ibi etiam aedes<sup>31</sup> sacrae<sup>31</sup> in honorem deorum Asiaticorum status ornatae, quae mirum in modum integrae<sup>32</sup> exstant. Omnium primum commemorari debet oecus<sup>33</sup> bibliothecae, ubi Caracalla tempus agebat Romanum, quod raro factum est propter expeditiones<sup>34</sup> eius longinquas. Eodem loco maxima vis papyrorum et membranarum<sup>35</sup> reperta est, quae, ut publici<sup>36</sup> iuris<sup>36</sup> fiant,<sup>36</sup> a viris eruditissimis expectantur vehementissime.

In Gallia duae statuae detectae sunt. In urbe Vaison, in lucem prodierunt illae statuae pulcherrimae ex albo marmore sculptae, quarum altera est Virgo Vestalis, summo cum artificio vestita, altera statua cuiusdam imperatoris Romani esse videtur lorica<sup>37</sup> gestantis. In ea lorica conspicitur insculptus genius alatus, arma tenens auxiliumque deae Minervae implorans, cum hostis — genius alter alatus — pugnam detrectare<sup>38</sup> videatur.

Praeterea in urbe Gallica Lavoye, ex sepulchro Gallico quinti p. Ch. n. saeculi poculum effossum est ex aere diligentissime effectum, cuius in latere sinistro conspicitur miraculum in nuptiis Canaensibus, opus<sup>39</sup> caelatum,<sup>39</sup> in dextro autem Lazari resurrectio, ut in Novo Testamento narratur.

M. F.

18 fenyeget 19 főváros 20 vonul 21 hadihajó 22 el-súlyeszt 23 mindkét felől 24 egyesült 25 szerint 26 kiás 27 fürdő 28 fütés 29 csatorna 30 országút 31 templom 32 sértetlen 33 terem 34 hadjárat 35 per-gament 36 kiad 37 vért 38 elvitat 39 domború mű.





**Fur**,<sup>1</sup> qui in nundinis<sup>2</sup> calceos<sup>3</sup> surripuit,<sup>15</sup> a publicis<sup>4</sup> comprehensus dixit: Nescivi calceos huius sutoris esse. Cui hic respondit:

— Sed tuos non esse sciebas.

*Ferd. Kohn (Békés).*

**Peregrinus** quidam Spartae commoratus altero pede stans ad Laconem: Non credo — inquit — te tantum temporis uno pede stare posse.

— Minime. Sed ne ullus quidem anser est, qui hoc non possit.

*V. De Vecchi (Alexandria) Penango.*

**Mathias** rex Hungarorum scurram<sup>5</sup> cenae adhibuit, cui per iocum ligulam<sup>6</sup> dari ve-tuit. Cum iusculum<sup>7</sup> apponeretur, Mathias: Stultus est — inquit — qui iusculum non edit. Sed scurra minime perturbatus panem in duas partes fregit et mollibus<sup>8</sup> excavatis<sup>9</sup> iusculum sorbuit<sup>10</sup> ac panem comedit. Tum ridens ad regem conversus: Stultus est — inquit — qui ligulam non comedit.

*Eug. Kovács (Bp. III).*

— **Quot** filios habes? interrogavit rex civem quendam.

— Quattuor, rex serenissime.

Rex responsi oblitus interrogationem paulo post iteravit.<sup>11</sup>

— Sex, erat responsum.

— Quid loqueris? prius quattuor dixisti.

— Ignosce,<sup>12</sup> rex potentissime, sed te mo-  
leste<sup>13</sup> ferre<sup>13</sup> putavi, si idem bis dixissem.

*St. Ehrlich (Armenopolis).*


**Canis** e taberna<sup>14</sup> macellaria<sup>14</sup> carnem surripuit.<sup>15</sup> Macellarius<sup>16</sup> tum causidicum interrogavit, num dominus animalis pretium carnis surreptae solvere deberet.

— Ita sane.

— Gratias ago, nunc ad dominum pro-  
pero, ut pecuniam exigam.<sup>17</sup>

1 tolvaj 2 vásár 3 cipő 4 rendőr 5 bolond  
6 kanál 7.lé 8 a bele 9 kiváj 10 felhőrpint  
11 ismétél 12 megbocsát 13 zokon vesz 14 mészár-  
szék 15 lop 16 mészáros 17 behajt.

— Sed non prius, quam mihi pro bono consilio decem coronas dederis. *Z. Hallay.*



### I.

**Rustica** ova vendebat. Primum vendidit ovorum semissem<sup>1</sup> et ovum dimidiatum; deinde reliquorum ovorum semissem et ovum dimidiatum. Remansit ovum, quod venibat.

Quot ova habuit rustica? quot ova emit emptor primus, quot alter? *H. P.*

### II.

**In via ferrata** Americana, quae Pacific appellatur, ab utrisque capitibus,<sup>2</sup> Novo<sup>3</sup> Eboraco<sup>3</sup> et ab urbe Sancti Francisci singularae vecturae<sup>4</sup> proficiscebantur horā septimā matutinā. Iter autem est septem dierum.

Quot vecturae obviae<sup>5</sup> fiebant<sup>5</sup> vecturae Novo-Eboracensi? *H. P.*

### III.

6. 2. 10. 4. 11. huius fructus grati saporis est  
2. 3. 5. 2. 6. 7. 1. 3. 4. 6. instrumentum scri-  
bendi

14. 7. 5. 13. 4. 11. arbor pulcherrima

7. 8. praepositio

1–14. proverbium notissimum (Horatius).

*Lucia Stroia (Cibinium).*

### IV.

**Haec** vocabula ita ordinentur, ut primi litterā primā, secundi secundā et quae<sup>6</sup> sunt<sup>6</sup> reliqua,<sup>6</sup> res nobis cara efficiatur: *rus, ius, strepo, navis, hirsutus, sterno, immerens, imi-  
tatus.*

*Iosephus Arth (Óverbász).*

### V.


**In aëre** volat, litterā additā natat in aqua, si litteram aliam praeposueris, instrumen-  
tum agricolae habebis.

*Eug. Tucker (Bp. III. reg.).*

1 semis, semissis a fele 2 végállomás 3 New-York  
4 vonat 5 szembetalálkozik 6 s így tovább.



VI.




Solutiones aenigmatum numeri 3.

I. Odium, claudio, timor, otium, bonus, erumpo, rusticus = October. — II. Nox erat et bifores intrabat Luna fenestras. — III. Festina lente. — IV. Panem et circenses.

**Aenigmata recte dissolverunt:** *I. Arth* (Óverbász), *I. Bauer* (Keszthely), *B. Beauregard* (Lugdunum), *L. Böhm* (Keszthely), *T. Fehrentheil* (Gyergyószentmiklós), *S. Horváth* (Agria), *S. Jakubowski* (Leopolis), *L. Jandk* (Agria), *F. Koller* (Vindobona), *R. Lockie* (Londinium), *N. Mártonffy* (Budapestinum), *P. C. Peltenburg* (Soeterwoude ad Lugdunum Batavorum), *L. Rosner* (Tyrnavia), *P. Siegwart* (Berlinum), *T. Szumowski* (Leopolis), *G. Tarczay* (Zagrabia), *A. Weisz* (Cibinium), *A. Zolnai* (Claudiopolis), *F. Eile* (Leopolis), *V. Felatynsky* (Stanislaopolis), *L. Horváth* (Keszthely), *C. Martin* (Andecavi, Gallia), *F. M...nci* (Budapestinum), *St. Pridun* (Stanislaopolis), *A. Le Strat* (Andecavi, Gallia).

Praemium *Andrae Le Strat* sorte obvenit.



*G. Lehmann.* Quantam maximam animus meus gratiam capere potest, eam tibi effero, vir honoratissime, pro carminibus, quibus Iuventutem etiam novissime ornasti. — *Mikes.* Gratia et tibi, carissime amice. Sed patientiam tuam appellare cogor teque rogare, ut tuum in numero, qui est proditurus Id. Dec., publicari patiaris. — *Andreas Löwenstein.* Recte mones, mi fili, qui «analogiam (latine «similitudinem»

dixerim) inter Indos et Hungaros [numerus III. Iuventutis] claudicantem et fallacem» dicas. Scriptor ipse hoc concedit neque negat Hungariam iure gentium [«internationale» non est vocabulum Latinum] eodem esse statu, quo Austriam, immo status patriae nostrae mille annorum idem est. Etiam hoc recte dicis Hungariae linguam esse Hungaricam, Austriae vero non Austriacam (quae quidem multae sunt), sed Germanicam. Haec nemo infitiabitur. Sed nemo affirmavit in hac «similitudine» Hungariam quidem cum India collatam esse. — *H. Simchen.* Tuum Cal. Dec. prodibit. — *Guilelmus W. (Bp.)* Tui versionem Hungaricam fac mittere. — *Praemii accipiendi impatiens.* Patientiam. Nondum libri Londinio nobis missi sunt. — *Bednarskio* viro humanissimo pro litteris iucundissimis gratias. — *De Kostolano.* Mutatis mutandis fortasse vulgari poterit; aenigmata sermone Latino parum valent. — *Politiani: Laus Vergilii.* Carmina antiquae aetatis atque eius, quae de artibus litterisque renatis nomen duxit, rarissime facio publici iuris, cuius rei tibi fidem facillime facere potes. Mitte nobis aliquid de tuis, quod tibi non minus facile fore spero. — *Artes (Békés).* Rem illam versu dicere difficillimum est. Exspecta, dum hanc facultatem assequaris. — *Hangódy.* Optime historiunculam enarrasti, sed mihi parum faceta videtur. — *I. Maftciu.* Aenigma tuum bonum est, sed magis ad scientiam mathematicam augendam, quam ad litteras Latinas profuturum puto. Aliud mitte, mi fili. — *F. M...nci.* «Caedes-aedes» haud difficile solutum iri credo. Historiam Cleomenis salse dictam esse non abnuerim, sed calliditas laudatur, ea autem in virtutibus haberi non potest. Qua es facilitate latine scribendi, alia mittere poteris. — *Leopoldus II.* (Armenopolis). Historiuncula satis lepida est, sed non verisimilis. Recte scribis latine, aliud mittere. — *F. Salló.* Tuum fortasse prodibit. — *Andreas D. (Posonium).* Tuum formā mutatā publicabitur. — *Emericus Frank.* Tibi idem dixerim, quia non de Vergilio, sed de Ovidio hexameter ille traditur. — *Extremo Septembri* (Keszthely). Carmen difficillimum convertendum conabar, mi fili. Dactylicis numeris conscriptum est, praeterea versiculi extremis syllabis consonant. Praeter Lehmannum, virum doctissimum paucissimi illud in sermone Latinum convertere possint. Soluta oratione scribe. — *N. Szarvas.* Numeros, quos desiderabas, te iam accepisse reor. Itane est? — De reliquis proxime.

Moderator ephemeridis **STEPHANUS SZÉKELY DR.**  
*Budapestini, Üllői-út 71.,* ad quem litterae quaecunque mittantur.

Sumptibus moderatorum ephemeridis: Magyar  
Középiskola.